

## TIT. XXXVI.

## De Religiosis domibus, ut Episcopo sint subjecta.

329 **D**omus religiosa in genere comprehendit omnem locum deputatum ad divinum cultum, & opera pietatis, & misericordiae exercendas; sive consecratione Episcopi sit dedicatus ad Missarum solemniam, & officia divina celebranda, ut sunt Ecclesiae, Basilicae, vel Tempa: sive absque consecratione Episcopi ad praedicta munera deserviat, ut sunt Monasteria, Xenodochia, Oratoria, Capellae domesticae, Hospitalia, Confraternitates, & Congregationes. *L. 1. tit. 12. p. 1.* Et quidem Episcopus habet in jure fundatam intentionem super omnium harum domorum in sua Diocesi sitarum subjectione illius spirituali jurisdictioni (secus quoad temporalia) nisi forte tales domus probentur exemptae. *c. 10. 16. q. 7. c. 17. 18. q. 2. c. 7. b. t. l. 2. tit. 12. p. 1.* Etiam si locus Religiosus sit Monasterio exempto incorporatus, nisi etiam talis locus probetur exemptus. *c. 6. b. t.* Et licet aliqui idem credant de quacumque Parochia respectu Ecclesiarum, quae intra suos limites sunt sitae: tamen dicendum est, tales Parochos non habere in jure fundatam intentionem super jurisdictione talium Ecclesiarum, vel Capellarum, sed tantum obtinebunt, quantum probent, & non amplius, ut deducitur *ex c. 2. de Capell. Menoch. c. fin. de Offic. Archid. Barbof. in c. 2. de Capell. Monach. n. 1.* Omnia igitur loca auctoritate Episcopali, vel alia Ecclesiastica erecta, (secus, quae absque tali auctoritate sunt erecta, etiam si oratorium habeant, dummodo Missa non celebretur; *arg. c. 4. b. t. & ibid. Barbof. num. 3.*) subsunt Episcopi jurisdictioni, qui proinde ea visitare potest, quantumvis exempta sint; sed tunc tamquam Sedis Apostolicae delegatus procedit: & etiam per Laicos administrantur. Non tamen potest prohibere jus visitandi Judicibus Laicis ibidem adquisitum. Non tamen potest visitare. 1. Loca pia, & Hospitalia, quae sunt sub immediata Regum protectione, sine horum licentia. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 8.* Nostri tamen Catholici Reges concesserunt jam generaliter suam licentiam, ut Hospitalia, quae sunt in Hispania, & Indijs sub Regia protectione, etiam ex Regio Arario fun-

data sint, visitentur simul a Judice Ecclesiastico, seu Episcopo, vel ejus Vicario, & a Judice destinato a Rege. *L. 4. tit. 6. lib. 1. R. C. l. 5. §. 21. tit. 4. lib. 1. R. Indiar. & alibi saepe. Solorz. Polit. Ind. lib. 4. cap. 3. 2.* Nec possunt Episcopi visitare illa pia loca, in quorum fundatione expressè cautum est, ut non subsint Episcopo. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 9. 3.* Nec Hospitalia Ordinum Militarium, & aliarum Regularium. *Cl. 2. b. t.* Praeterea Episcopi possunt exigere rationem ab Administratoribus Hospitalium, & aliorum piorum locorum, etiam si erecta sint absque Ecclesiastica licentia, & etiam si alijs ad id deputatis ex consuetudine, vel constitutione ratione reddenda sit. *Cl. 2. b. t.* solumque excusari possunt a tali ratione Episcopo reddenda, si ita expressè, in fundatione cautum sit. *Trid. sess. 22. de Reform. cap. 9. Barbof. de Pot. Episc. alleg. 75. n. 57. Gu-tier. Canon. q. lib. 1. cap. 35. ex num. 19.* Si una Ecclesia, vel Monasterium uniatum ex justa causa, & dispensative attento *Trid. sess. 14. de Ref. cap. 9.* Ecclesiae, vel Monasterio alterius Diocesis, manet adhuc sub jurisdictione Episcopi, in cujus Diocesi Ecclesia unita sita est; *arg. c. 10. 16. q. 7. c. 2. b. t. L. 4. tit. 12. p. 1. ibi: E si fueren de dos Obis pados, cada una de ellas debe obedecer a su Obispado, è facerle aquellos derechos, que le facian ante que fuesen ajuntadas.* Si dubitetur in cujus Diocesi sit locus, in quo est aedificata Ecclesia, pertinet jurisdictioni ad Episcopum, qui unum, vel alterum actum jurisdictionis Episcopalis in quacumque linea exercuit; nam hoc tunc sufficit ad totam jurisdictionem possidendam, cum nullus alius sit in possessione alterius juris, ut accidebat in *c. 18. de Praescript. Barbof. in c. 1. b. t. n. 6.* qui testatur saepe à Rora decisum.

330 **Inoc. X. in Const. Instauranda. Ann. 1652.** statuit, ne deinceps aliqui Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium: Conventus, vel Collegia ineipere, vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali: ac proinde nihil obstant anteriores Constitutiones. *c. 12. 18. q. 2. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3.* requirentes solam Ordinarij auctoritatem: imò dicendum est, quod ultra Episcopi licentiam, insuper licentia Pontificis requiritur. *Barbof. de Potest. Episc. alleg. 26. n. 4. Gonz. in c. fin. b. t. n. fin.* Praeter Ordinarij, & Pontificis licentiam ad nova Monasteria Mendicantium, vel non Mendicantium ubique erigenda, est necessarium, quod saltem duodecim Religiosi ibidem possint

degere, & quod cirentur alij Conventus, si qui ibi sunt, & quod ipsi consentium capitulariter praebant. Similiter accedere debet consensus Principis illius territorij: item Parochi, & incolarum. *Clem. VIII. in Const. Quoniam, 23. Jul. An. 1603. Greg. XV. in Const. Cum alias, 17. Aug. An. 1622.* Etiam Monasterium de novo erigendum cautionem praestet de non petenda elemosyna: quippe non tantum in hoc stat praedictum, sed etiam in concursu, & oblationibus. In erectione Monasterij Monialium, quae non querunt ex elemosynis victum, non est necesse praedictos citari, cum eis nullum praedictum sequatur. *Barbof. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 41. n. 117. Sanchez, privileg. lib. 6. cap. 7. n. 116.* In Provincijs Indiarum nulla Ecclesia Cathedralis, nec Parochialis, nec Monasterium, nec alius pius locus potest erigi, quin Regis nostri praecedat expressa licentia, vel illius, qui patronatum Regium exerceat, & habeat hanc facultatem: ita, ut si absque licentia debita aliqua Ecclesia erigatur, demoliri debeat. *L. 1. tit. 2. l. 1. tit. 3. l. 2. tit. 6. lib. 1. Rec. Ind. Gonz. in c. fin. b. t. n. fin. Solorz. Polit. Ind. lib. 4. cap. 23.* ubi dicit, quod in Indijs Religiones sola cum Regis licentia, etiam sine licentia Episcopi nova aedificantur Monasteria, & quod sic in praxi servatur, non obstantibus varijs Constitutionibus Pontificijs in contrarium. Sed in hoc debent attendi unius cujusque Ordinis privilegia. Sed cum praedictae Constitutiones loquantur de Monasterij erectione, dicendum est, eas non habere locum, quando Monasterium ampliatur, vel alio transferatur, vel postquam destructum est, reaedificatur, etiam si ex his alijs praedictum sequeretur. *Gonz. in c. fin. b. t. n. fin.*

331 **Omnis res** (ait *Text. in c. 1. de Regul. jur. per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Hinc Hospitalia, vel loca, quae accedente auctoritate Ecclesiastica Religiosa facta sunt, nequeunt ad usus profanos converti sine Ecclesiastica auctoritate. *c. 4. b. t. Quod enim semel Deo dicatum est, non est ad humanos usus convertendum. c. 51. de Reg. jur. in 6. L. 3. tit. 12. p. 1.* imò, neque ad alium usum, etiam piium praeter destinatum. *Cl. 2. b. t. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 8.* Si vero sine auctoritate Ecclesiastica aliquis locus ad usum piium est destinatus: v. g. ad Oratorium, potest privata auctoritate ad usum profanum converti, v. g. in cameram; *arg. c. 4. b. t.* Si tamen fundator alicujus operis jam decessit, illius haeres nequit ejus vo-

Tom. I.

luntatem mutare, sed eam tenetur adimplere. Praeterea in *c. fin. b. t. & in c. un. eod. in 6.* prohibet Pontifex, neulla Religio sine Sedis Apostolicae approbatione instituat, ut sic tollatur confusio, quam nimia diversitas Religionum parit, & tollatur erroribus inducendis occasio ac proinde professio in Religione sine Pontificis licentia constituta, recte nulla, ac per consequens nullius momenti erunt pacta circa illam inita, & vota obedientiae, & castitatis, si tantum dependent à tali Congregatione sint facta. Suvadendi tamen sunt votum castitatis hoc modo emittentes, castitatem servare; quod si nolint, valent matrimonium contrahere. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 16. n. 24.* Deinde Ecclesia Regularis solum Pontificia auctoritate potest in Saecularem Clericorum converti, nisi forte non inveniatur Religiosus, etiam alterius Ordinis, per quos restitueretur disciplina regularis disciplina: tunc enim auctoritate Episcopi haec mutatio fieri valet. *c. 5. b. t. & ibid. Gloss. & Barbof. Sub prohibitione novarum Religionum, etiam comprehenduntur Congregationes virorum, vel mulierum, etiam si tria vota substantialia Religionis non emittant, si tamen sub certa regula, ritu, & habitu in communi vivant; cum eadem sit ratio, & idem periculum ex eis possit oriri. *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 2. cap. 16. n. 22.* Non tamen comprehenditur vita solitaria, & non in communi degentium: quin potius possunt foeminae non suspectae simul habitare in suis, vel conductiis aedibus, obediendo Ordinarijs, & Parochis, & ibi Deo servire, & agere poenitentiam. *Cl. 1. in fin. b. t. Extr. un. int. com. b. t.* In nostra Hispania severe prohibetur, ne fiant Congregationes, vel Confraternitates, quocumque praetextu, pio, & sancto sine Regis, & Praelati Ecclesiastici licentia. *L. 3. tit. 14. lib. 8. R. C.**

## TIT. XXXVII.

## De Capellis Monachorum, &amp; aliorum Religiosorum.

332 **Capella** aliquando significat alicuius altare in Ecclesia constructum, praecipue aliquo cancello ligneo, vel ferreo clausum. Aliquando Oratorium, seu sacram aedificam ab Ecclesia separatam. Sed in praesenti Parochialem, seu Ecclesiam, quae non sit Collegiata significat.

Hhhh

fi-

fiat. Quocumque tamen modo sumatur, si in ea Missa est celebranda, cum ex hoc locus sacer, & Religiosus fiat, non aliter, quam Episcopi auctoritate erigi debet. *c. 25. de Conf. D. 1.* Olim quidem in Ecclesijs unitis Monasterijs, sicut in ipsis Monasterijs, Capellani, seu Sacerdotes Sæculares præficerentur. *c. 1. h. t. l. 24. tit. 7. p. 1.* Siquidem Monachi regulariter erant Laici. Tripliciter ergo potest Ecclesia Parochialis Monasterio uniri. 1. *plenisimo jure*, ita ut Monasterium exerceat jurisdictionem, quasi Episcopalem in populum ejus Parochia; & tunc Regularis, vel Sæcularis Parochus juxta loci consuetudinem præfici potest; quin Episcopus possit in administrationem se immiscere, cum Superior Monasterij sit loco Episcopi. *L. 26. tit. 7. p. 1. Rodrig. t. 1. q. 99. Regul. q. 36. art. 4. 2. potest pleno jure uniri quoad temporalia, scilicet, & spiritualia*, ita ut Monasterium exerceat curam animarum, & tunc si Vicarius perpetuus ibi ponatur à Monasterio est præsentandus; sed institutio, visitatio, correctio, destitutio, seu depositio ad Episcopum spectant. Si Vicarius Sæcularis temporalis ad nutum à mobilibus ponatur, institutio, & destitutio, ut quæ nullum titulum dicunt, sunt à Prælo Regulari: tota alia jurisdicção in spiritualibus in Clericum pertinet ad Episcopum. Si Vicarius Regularis ponatur, visitatio, & correctio ad Episcopum, & Abbatem cumulativè spectant, in his quidem, quæ ad officium Parochi pertinent, etiam aliud Monasterium exemptum sit. *c. 16. de Privileg. ibi: Quo circa mandamus, quatenus in quantum exempti sunt (Capellani Ducis Burgundia) ejusdem ratione Capelle Apostolicis privilegijs deferat reverentia: sed in quantum ratione Parochialium Ecclesiarum, vel alias jurisdictionem tuam recipere dignoscuntur, officij tui debitum in eosdem libere prosequaris. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 11. Greg. XV. in Const. Immutabili. An. 1622. Barb. in c. 1. h. t. n. 5. L. 28. tit. 15. lib. 1. R. Ind. 3.* potest uniri quoad temporalia tantum, quatenus Monasterium reditus talis Ecclesia percipiat: & cum nullam tunc jurisdictionem spirituales habeat Monasterium, Clericus Sæcularis, ad Monasterij præsentationem, Ecclesia unita præficitur: ita ut Episcopus habeat omnimodam jurisdictionem. *L. 26. tit. 7. p. 1. Gonz. in c. 1. h. t. n. 4.* Denique, licet in *c. 2. de Statu Monach. in c. 3. & fin. h. t.* sit statutum, quod Monacho, qui Ecclesie Parochialis, extra Monasterium præficitur, aliqui Socij Regulares

adjungantur. *L. 24. tit. 7. p. 1. ibi: Ha de eslar con otros Frayles: tamen ex Const. Greg. XIII. sufficit, si unus adjungatur. Garc. de Benef. p. 11. cap. 2. n. 13.* sed hoc visum unquam videtur receptum. Sed tunc tantum solet Socius assignari, saltem in Indijs, quando est sufficiens Religiosorum copia (quod visum unquam accidit) & commode fieri potest, ut de Canonici Regularibus disponitur in *c. 5. de Statu Monachor.*

## T I T. XXXVIII.

## De Jure Patronatus.

33 **J**US patronatus aliquando pro Advocatia sicut in *L. 14. §. 1. C. de Judic.* aliquando pro Libertorum patronatu; ut in *c. 61. 12. q. 2.* sumitur: sed in præsentem est jus, sicut potestas præsentandi Clericum instituendum, ad Ecclesiam, vel beneficium. Patronus ergo dicitur, quasi pater oneris, quia onera Ecclesie sustinere debet in consequentiam honoris. *L. 1. tit. 15. p. 1.* In primis quidem Ecclesie Sæcularis non agnoscatur jus patronatus. *c. 3. c. 6. 10. 16. q. 7.* sed postea gratia, & privilegio Apostolico hoc jus cepit etiam Laicis concedi, ut ad Ecclesias, & beneficia fundanda allicerentur. *c. 32. 16. q. 7. c. 25. h. t. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9. L. fin. tit. 15. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. Gracia.* Et quidem ex tribus capitibus oritur patronatus, ex fundatione, scilicet, constructione, vel dotatione Ecclesie, vel beneficii. *c. 31. c. 32. 16. q. 7. c. 25. h. t.* juxta illud Gloss. in *c. 26. 16. q. 7.* Patronum faciunt, dos, edificatio, fundus: quæ insuper debent fieri animo patronatum adquirendi: non tantum animo condonandi, nam tunc potius dicitur benefactor, quam Patronus. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 60.* Non tamen est necessaria expressa reservatio juris patronatus; sat enim erit; quod actu contrario non remittatur. *Garc. n. 62.* prædicta clare habentur in *L. 1. tit. 15. p. 1. ibi: Patronado es derecho, à poder, que ganam en la Iglesia, por bienes que hacen los que son Patronos della: è este derecho gana uno por tres cosas: la una, por el suelo que dà à la Iglesia, en que la hacen: la segunda, por que la hacen: la tercera, por heredamiento que la dan, à que dicen dote. Greg. Lop. ibid. fundare enim dicitur, qui fundum, vel solum, in quo Ecclesia construitur, dat. Construere dicitur, qui dat sumptus*

ad

ad Ecclesiam edificandam, vel restituendam colapsam, si Ecclesia forte totaliter injuria temporum, vel aliter destruat. *D. Bare* dicitur, qui sufficientes redditus tribuit ad usus Ecclesie necessarios, & ejus Ministeriorum sustentationem congruam. *L. 1. tit. 15. p. 1. ibi: La tercera por heredamiento; à que dicen dote, onde vivan los Clerigos que la sirven; è que puedan cumplir las otras cosas. Et ibid. Greg. Lop.* Si quis non sufficientes ad prædicta redditus tribuat, potius benefactor, quam patronus dicitur. Jam tamen patronatus constructis, vel dotantis extinguitur destructa Ecclesia, vel ejus amissa dote, ac proinde non reviviscit, si alias construat, vel dotet. *arg. L. 98. §. 8. ff. de Solution. sed adificanti de novo, etiam ex antiqua materia, vel de novo dotanti totum jus patronatus adquiritur. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 51.* Si tamen Ecclesia non esset omnino diruta, sed per partes reedificata sit, etiam tota sit de novo facta, cum censeatur esse eadem Ecclesia moraliter cum antiqua, antiquus extructor patronus manet. *arg. L. 10. §. 1. ff. Quibus mod. usufr. amit. nec ad jus patronatus adquirendum est necessarium, quod ab eodem copulative fundetur, construat, & dotetur Ecclesia: sed sufficit quilibet ex his titulis disjunctivè. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9. & sic est intelligenda copulativa. Trid. sess. 14. de Ref. cap. 12. L. 12. tit. 15. p. 1.* Unde possunt respectu ejusdem Ecclesie plures concurrere patroni, si alius scilicet, fundet, alius construat, alius dotet. Tamen talis fundatio, constructio, vel dotatio debet approbari ab Ordinario. *c. 25. h. t.* videlicet ab Episcopo, vel ejus Vicario, si specialem commissionem habeat: vel à Capitulo, Sede vacante, vel ejus Vicario, etiam sine speciali commissione: vel ab alio jurisdictionem quasi Episcopalem habente; sufficit tamen consensus à prædictis, etiam ex post facto præstari. *Barb. de Officio Episcop. alleg. 70.* Si Ordinarius requisitus sine justa causa (secus si justam habeat causam) recuset consensum præstare ad constructionem, vel dotationem, potest compelli à Papa. *arg. c. 17. h. t.* Si Titius v. g. in fundo Sempronij eo invito, vel inscio Ecclesiam extruat, patronatus adquiritur Titio extructori, non vero Sempronio Domino fundi, nisi hic ratam habeat dedicationem, & tunc ambo sunt patroni: potest tamen Dominus fundi, etiam propria auctoritate occupare, vel destruere talem Ecclesiam; *arg. c. 1. c. 2. de Novi oper. nuntiat. L. 29. §. 1.*

Tom. I.

*ff. ad Leg. Aquil.* dummodo talis Ecclesia non sit consecrata. Si enim jam est consecrata destrui nequit; sed Domino fundi est præstanda fundi æstimatio, si fundum non lit donare; *arg. c. 2. 14. q. 6.*

334 Jus patronatus, nec est absolute spirituale, nec mere temporale: sed esse spiritualibus annexum expresse dicitur in *c. 3. de Judic. c. 16. b. t. l. fin. tit. 15. p. 1. ibi: Llaman el derecho del Patronado como espiritual, è ayuntado à espiritual. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4.* Et ratio est, quia ordinatur ad institutionem Canonicam, quæ tribuit jus spirituale, & quam præcedit præsentatio vi patronatus facta. Sicut Calices, & Patena, quatenus ad Sacrificium Missæ ordinantur, spiritualibus accensentur. *c. 42. c. 44. de Consecr. D. 1. L. 43. ff. de Rei vindicat.* Hinc quidquid Patronus Laicus habet in præsentatione ad beneficium totum ex gratia, & privilegio Ecclesie oritur. *L. fin. tit. 15. p. 1.* Jus quidem patronatus multipliciter distinguitur. Aliud enim est hereditarium, quod scilicet, ad quoscumque hæredes, etiam extraneos transit, & cum frequentius ita instituitur jus patronatus, in dubio hereditarium præsumitur; *arg. c. 18. de Censib.* Aliud est familiare, seu Gentilitium, quod scilicet, transit tantum ad eos, qui de aliqua familia sunt. Aliud potest dici mixtum, quod scilicet, tantum transit ad cognatos fundatoris, si simul hæredes sint. Præterea: aliud est personale, quod scilicet patrono independentè ab aliqua re competit. Aliud reale, quod quidem competit ratione rei, cui adheret: v. g. ratione Castellri, Villæ, vel prædij. Celebratissima tamen divisio juris patronatus est in Ecclesiasticum, Laicum, & mixtum. Ecclesiasticum siquidem est, quod persone, vel Collegio Ecclesiastico competit ratione Ecclesie, Dignitatis, vel beneficii Ecclesiastici. Tale est, quod Episcopo, vel Abbati competit ratione domini temporalis pertinentis ad Ecclesiam: item, quod competit Religiosis, etiam Laicis, vel etiam Rectoribus Hospitalium, etiam si absolute auctoritate Ecclesiastica erecta sint. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. ex n. 600.* vel etiam Congregationibus Laicorum, si alicui Ecclesie sint annexæ; vel Collegijs Laicorum, si ratione alienjus Ecclesie, vel loci pii, ipsis competat: vel etiam Magistris S. Joannis ratione suarum commendatarum; & quod competit Equitibus, etiam Conjugatis S. Jacobi, Alcantaræ, & Caltravæ. *Garc. de Benef. p. 9. cap. 2. n. 262. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 8.*

Hhhh 2

Mas

*Mascard. & alij. Laicum*, seu *Seculare* est quod competit Laico, vel etiam Clerico, non ratione Ecclesiae, sed ratione proprii patrimonii. Hinc ad cognoscendam patronatus naturam, non persona, sed titulus, ex quo competit, inspicere debet: siquidem Laico potest patronatus Ecclesiasticus, & similiter Clerico, Laicalis competere. *Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. ex n. 553. Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 34. ex n. 18.* ac proinde, etiam si Clerico fundetur beneficium, si hoc ex bonis patrimonialibus fiat, erit patronatus Laicalis: quin etiam si fundetur ex bonis adquisitis à Clerico intuitu beneficii, de quibus privilegio, vel consuetudine immemoriali, ut in Hispania, liberè disporre valet, adhuc erit patronatus Laicalis: secus erit si tali facultate disponendi liberè careat. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. n. 594.* Etiam est patronatus Laicalis, quando Princeps, vel Magistratus Secularis Clericum nominat, quem postea Ecclesia Episcopo praesentare debet: nam qui eligit, ut in tali casu facit Magistratus, censetur praesentare: Ecclesia tamen non liberè, sed necessario praesentat, ac proinde hoc facit tamquam Procurator, vel Executor nomine alieno; *arg. c. 32. 16. q. 7. Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. n. 616.* Hinc erit etiam Laicalis, si Laicus praesentare debeat, non solum cum consilio, sed etiam cum consensu Clerici: sicut erit Ecclesiasticus, si Clericus cum consilio, vel consensu Laici debeat praesentare. Si non constet, an ratione patrimonii, vel beneficii Ecclesiastici patronatus competat, videndum est, an jure hereditariae successione competat: nam tunc censendus est Laicalis. Nam jus Ecclesiasticum non defertur successione hereditaria. *c. 1. de Praebend.* si neque hoc constet, regulatur secundum qualitatem personae possidentis: si Laica sit, Laicalis censetur, si Clericus possideat, patronatus Ecclesiasticus existimatur. *Jus patronatus mixtum* est quod competit, partim ratione Ecclesiae, partim ratione patrimonii, sive eidem, sive diversis personis: & tale jus naturam patronatus Ecclesiastici sequitur: quippe minus dignum magis dignum sequi oportet; *arg. l. 43. ff. de Rei vindic. nisi quoad eos effectus, qui patrono praesudicarent: nam tunc naturam patronatus Laicalis sequitur. Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 18.* Si hoc jus ita competat Clericis, & Laicis, ut alternatim in praesentando, quando Laici praesentent Laicale, quando Clerici, Ecclesiasticum erit. *Garc. de Benef.*

*p. 5. cap. 1. n. 614. Barbof. n. 17. & alij.* Inter jus patronatus Laicale, & Ecclesiasticum plures sunt differentiae. Nam 1. Patronus Laicus habet quatuor mentes tantum ad praesentandum, Ecclesiasticus autem sex. *c. un. §. Verum, h. t. in 6. 2. Laicus potest variare, plures praesentando, antequam aliquis instituat: vel simul, vel successivè, dum tamen semel praesentatum non excludat. c. 5. c. 24. b. t. l. 6. tit. 15. p. 1. Ecclesiasticus tamen variare nequit. l. 7. tit. 15. p. 1. 3. Papa non solet patronatus Laicali derogare, nisi expressè: secus Ecclesiastico. & Conventus, qui requiritur à *Trid. sess. 24. de Ref. c. 18.* ad beneficium Ecclesiasticum curatum non requiritur, quando tale beneficium est patronatus Laicalis. Jus tamen patronatus Ecclesiasticum, quod ad Laicum transfertur, naturam Ecclesiastici exiit, & induit naturam patronatus Laicalis: non solum quando titulo oneroso, ut concedit *Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 12. n. 16.* sed etiam, quod ipse negat, quando ex titulo lucrativo transit ad Laicum.*

335 Fundans, constructus, vel dotans Ecclesiam non Cathedrali, nec Collegiatam, seu Conventualem, jus patronatus, quoad omnes ejus effectus adquirit, *c. 32. 16. q. 7.* Si verò Ecclesia sit Cathedralis, vel Collegiata, Patronus Ecclesiasticus potest acquirere omnes patronatus effectus, etiam quoad eligendum Praetatum: secus si Patronus Laicus sit: quia est hujusmodi juris incapax, ac proinde nec in fundatione potest illud sibi reservare. *c. 1. D. 63. c. 51. de Elect. nisi privilegium Pontificum obtineat. c. 25. b. t. l. 1. tit. 15. p. 1.* potest tamen sibi reservare jus praesentandi ad Praebendas, Canonatus, & Beneficia. *l. 1. tit. 15. p. 1.* Imò accedente Episcopi auctoritate, potest sibi reservare jus praesentandi assensum electioni: qui quidem requirendus erit post electionem, ante ejus publicationem. *c. 25. b. t. c. 51. de Elect. l. 1. tit. 15. p. 1.* Sed hoc potius ex honestate, quam ex necessitate requiritur: siquidem etiam invito patrono, electio, si Canonica sit, est à Superiore confirmanda. *Barbof. in c. 25. b. t. n. 5.* Quicumque igitur, qui fundat, vel construit, vel dotat Ecclesiam, quaecumque sit, etiam Conventualis, Parochialis, vel Cathedralis, est juris patronatus capax, si aliunde non specialiter prohibeatur. *c. 32. 16. q. 7. l. 1. l. 4. tit. 15. p. 1.* Hinc possunt patronatum acquirere non solum Clerici, sed etiam Laici: quibus generaliter ex Indulgenti Pontifici hoc

hoc concessum est. *c. 7. b. t. c. fin. de Consec. praebend.* possunt etiam patronatum obtinere, non solum legitimi, sed etiam spurij, cum patronatus, licet sit honor, non sit publicus, cujus est incapax spurius. Item patronatum habere possunt, non solum viri, sed etiam foeminae. Et tam Regulares. *c. 7. b. t.* quam Sæculares. *c. fin. de Consec. praebend. Barbof. in c. 7. b. t. n. 12. Garz. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 142.* Si tamen foemina matrimonium contrahat, licet retineat jus patronatus personale, & quod est annexum bonis paraphernalibus: tamen jus patronatus dori annexum, tamquam fructus dotis, & quid ipsi accessorium, pertinet ad maritum, matrimonio durante, ad quem spectant dos, & ejus fructus. *c. 7. de Donation. int. vir. c. 16. de Usuris.* Et sic contra alios tenent *Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. c. 12. n. 223. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 177. & alij.* Conductor ad longum tempus Villæ, vel Castellri, cui jus patronatus est annexum, cum in re conducta dominio utili gaudeat, etiam commoditas, & jus praesentandi ipsi videtur concessum: secus est, si locatio ad breve tempus fiat. *c. 7. b. t. & ibid. Gonz. l. 9. tit. 15. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. Arrendando. Lambert. Azor, & alij contra Barbof. in c. 7. b. t. n. 4. & alios.* Similiter infeudato, vel in emphyteusim dato praedio, cui jus patronatus annexum est, hoc transit ad vassallum, vel emphyteutam, tamquam quid accessorium praedij; *arg. c. 7. b. t. l. 9. tit. 15. p. 1.* Quando à debitor oppignoratur Villa, cui est jus patronatus annexum, etiam transit in creditorem jus praesentandi. Ita expressè habetur in *l. 9. tit. 15. p. 1.* ubi *Greg. Lop.* alios citat, quamvis ipse cum pluribus dissentire videatur. Infantes igitur, & furiosi, licet juris patronatus sint capaces, illud tamen nequeunt per se exercere: sed Tutores, & Curatores debent ad beneficia praesentare. Impuberes tamen, licet expediat, ut cum auctoritate Tutoris praesentent, non tamen est necessarium: sed sine ea, imò contra praesentationem à Tutore factam pravelebit praesentatio pupilli: Siquidem in spiritualibus Tutoris auctoritas, quia nec Patris potestas attenditur. *c. fin. de Judic. in 6.* Puberes verò non indigent Curatorum auctoritate ad praesentandam. Pater pro filio impubere bene potest praesentare, cum habeat administrationem filij toto tempore impubertatis, secus post pubertatem. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. ex n. 193.* Non tamen sunt capaces juris patronatus, siquidem expressè à jure ex-

cluduntur, Judæi, & Gentiles, quia non sunt Christiani: nec item Hæretici, quia sunt Infideles. *c. 30. 16. q. 7.* Patronus excommunicatus validè praesentat, ut contra alios tenent *Ugolin. de Cons. tab. 2. cap. 12. §. 2. n. 13. Garc. de Benef. p. 5. c. 4. n. 317.* Si excommunicatus est virandus non potest Episcopus talem praesentationem admittere, ne cum eo videatur communicare: si est toleratus, potest eam, sed non tenetur, admittere:

336 Patronus tria habet ex patronatu, bonorem scilicet, utilitatem, & onus. *l. 1. tit. 15. p. 1.* juxta illud: *Patrono debetur bonos, onus, utilitasque.* Ipsum enim Jus Naturale dicitur, commoda cuiusque rei cum sequi, quem sequuntur incommoda, & è contra. *l. 10. ff. de Reg. jur. c. 55. eod. in 6.* & sic olim quidam canebat: *Semifer interea Divina stirpis alumno letus erat: mistoque oneri gaudebat honore.* 1. ergo ratione honoris Patrono debiti potest hic in Ecclesia patronata arma, & insignia suae familiae ponere. Etiam Patronus Laicus praeferi debet alijs Laicis in pace suscipienda: danda tamen est, non à beneficiato: sed ab alio Ministro: non oseculo, sed instrumentis, & quidem post datam pacem omnibus de Choro. Item ipsi datur sedes in loco digniori, sed extra Chorum, & sine baldochino, nisi Dominus territorij sit. Ipsi datur honoratior locus in processione. *l. 1. tit. 15. p. 1.* ibi: *Quando venire à la Iglesia le deben poner ensima de la procession, quando la ficiereen, asi como Mayorat.* Et alijs Laicis, excepto Domino temporali territorij, praesertur in thurificatione, & oblatione candelarum, & palmarum. Si Patronus sit Rex, vel magnus Princeps solet processionaliter excipi, & olim sic excipiebantur nostri Potentissimi Reges: sed hodie hoc magna ex parte, moderatum, & correctum est. *l. 7. tit. 1. lib. 1. R. C.* ibi: *Y que las Cruces no salgan à Nos de la puerta de la Iglesia afuera, pero que la Procession de los Clerigos salga de la puerta adelante::: y este recibimiento con Cruces no debe ser hecho à Señores temporales, salvo à Rey, à Reyna, à Principe heredero.* Et hac ratione non debent in Indijs excipi sub pallio Pro-Reges. *l. 19. tit. 3. lib. 3. R. Ind.* nec Archiepiscopi. *l. 4. tit. 15. lib. 3. R. Ind.* 2. ratione utilitatis debet patronus ab Ecclesia patronata sustentari. Si enim patronus ad inopiam vergat, ita ut non habeat ex officio, vel alio modo, unde commodè, & pro decencia sui status, & attentis ejus nobilitate, & gradu, se & suam familiam sustentare possit, po-

potest ab Ecclesia patronata ex iustitia petere alimenta, quae profecto ab ipsa Ecclesia, si superflua habent, scilicet, ultra necessaria ad cultum Divinum, & sustentationem Parochi, & Ministrorum, praestanda erunt, & in hoc patronus alijs pauperibus praestendus est. *c. 25. b. t. l. 2. tit. 15. p. 1. & ibid. Greg. Lop. Barbos. in c. 25. b. t. n. 11. & alij.* Imo potest patronus de consensu Episcopi in limine fundationis (scilicet post fundationem factam) sibi moderatam pensionem relinere; ita tamen, ut Ecclesiae competens dos remaneat. Nam quilibet in sua re potest condiciones honestas, & licitas apponere, qualis praesens est. *c. 23. b. t. l. 2. tit. 15. p. 1.* nullo tamen modo permittitur patrono, etiam si fundet Ecclesiam Cathedrali, vel Conventualiam accipere decimas, & oblationes Ecclesiae. *c. 23. b. t. l. 4. tit. 15. p. 1.* 3. ratione oneris incumbit patrono cura, & defensio Ecclesiae. *c. 31. 16. q. 7. c. 23. c. 24. b. t.* ac proinde debet eam a potentioribus defendere, ne opprimatur. *c. 60. 16. q. 7.* solentque patroni advocatiam, sed sine iurisdictionis exercitio habere: & si Clerici res Ecclesiae dissipent, vel non bene administrant, patroni debent de hoc Episcopum certiorare: quod si ipse non corrigat, conquiri debent Archiepiscopo. *L. 3. tit. 15. p. 1.* Et sane licet jus patronatus aequale sit respectu plurium patronorum; quando alius fundavit, alius dotavit, alius contriuxit Ecclesiam: quamvis alius plus, alius minus dedisset; tamen illic, qui plus contulit potius, & prius est in suis necessitatibus subveniendum ab Ecclesia: & etiam honoratio locus, quam reliquis praestatur. Item si in discordia unus praesentat unum, alius alium, si praesentati sunt aequales, debet Episcopus instituire praesentatum ab eo, qui plus contulit Ecclesiae. *L. 12. tit. 15. p. 1.*

337 Præcipuum patroni jus est praesentatio. *c. 32. 16. q. 7. c. 8. c. 14. b. t. l. 1. tit. 15. p. 1.* quae sane nihil aliud est, quam exhibitio personae idoneae ad Ecclesiam, vel beneficium vacans legitime facta Episcopo, vel alijs, ad quem pertinet institutio. Si haec tempore legitimo sit acceptata, tribuit jus ad rem pro institutione: & in hoc differt a Collatione, quae jus in re tribuit Collatario. Adeo est necessaria praesentatio in beneficio patronato, ut si collatio fiat ab Episcopo, patrono reclamante, nulla omnino sit. *c. 8. ubi. l. 5. tit. 15. p. 1.* Et potest patronus, etiam absens, per litteras, vel per Procuratorem praesentare. *c. 6. de his, quae fiunt.* Similiter potest praesentari,

se instituendi per litteras, vel per Procuratorem praesentare; arg. *c. 7. de Reg. jur. in 6. Azor p. 2. lib. 6. cap. 21. q. 6. & alij contra Barbos. de Poteft. Episcop. alleg. 72. ex n. 110. Garc. & alios.* Si plures patroni discordent in praesentando, iuste praesertat, qui plurium habet suffragia: si hoc sine scandalo fieri nequit, Episcopus liberè, etiam absque praesentatione, quem velit, instituet. *c. 3. b. t.* Si hoc nequit absque scandalo fieri, claudenda est Ecclesia ab Episcopo, & reliquia tolluntur, donec patroni conveniant. *c. 1. c. 2. b. t.* Et quidem in paritate meritum; & vocum gratificationis locus est. *c. 24. b. t.* nec potest à tali gratificatione appellari. *Vallens. hic; §. 5. n. 5.* Patronus tamen nequit se ipsum, per se, nec per Procuratorem praesentare, cum inter praesentantem, & praesentatum debeat dari distinctio personarum. *c. 26. b. t. c. fin. de Instit. l. 7. tit. 15. p. 1.* potest tamen praesentari ab alijs Compatronis, & ipse utique valet tali praesentationi consentire. *L. 7. tit. 15. p. 1. arg. c. 33. de Election. vel potest Episcopo supplicari, ut ipsi beneficium patronatum conferat; & Episcopus valet illud supplicanti deferre. Barbos. in cap. 26. b. t. n. 5.* potest absque dubio patronum suum filium praesentare. *L. 7. tit. 15. p. 1.* sicut potest in electione suffragium pro filio conferre; arg. *L. 5. ff. Quod cuiusq. Univers.* Qui tamen ad beneficium praesentatur, debet esse capax, ut in eo influatur, hinc praesentari nequeunt irregulares, excommunicati, servi, neophyti, illegitimi, nec Laici. At verò Laicus, si post breve intervallum, ante institutionem Clericali tonsura insigniatur, non penitus inhabilis est. *Lambert. lib. 1. p. 3. q. 2. Barbos. de Poteft. Episcop. alleg. 72. n. 73. & 78.* debet insuper praesentati, qui habeat qualitates in fundatione requisitas: v. g. gradum Doctoris; vel quod sit de tali familia, vel patria. Si tamen praesentetur, qui tali careat qualitate, si ea sit in favorem Ecclesiae, vel beneficii inducta, praesentatio talis irrita est, etiam si nullus eam contradicat; arg. *c. 12. de Foro compet. l. 38. ff. de Pact.* Si in alio cuius privati favorent v. g. consanguineorum talis qualitas exigatur, si ipsi, cum sciant, praesentatum tali qualitate carere, non contradicant praesentationem, suo iure renuntiare censentur; arg. *c. 43. de Reg. jur. in 6.* ac proinde valet praesentatio. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 15. ex n. 1. Gutier. Canon. q. 9. cap. 11. n. 3.* Si fundator in fundatione propinquiorum consanguineum ad beneficium vocet, haec praesentatio

erit.

erit; & quidem propinquitas, non secundum computationem Canonica, ut vult *Ceval. Com. q. 39. n. 29.* sed secundum civilem erit computanda: siquidem haec vocatio species successiones habetur. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 15. n. 25.* Etiam si fundator solum vocet aliquem de consanguineis in genere, debet praesentari propinquior: quippe talis praesumitur vocatus à fundatore, cum hic vocetur à Lege ad hereditatem. *Lambert. Gutier. Garc. de Benef. p. 7. cap. 15. n. 17.* contra *Rodrig. & alios:* potest quidem praesentari illegitimus, Rescripto Papae legitimatus, quin & legitimus Rescripto Regis, si propinquior sit legitimo consanguineo. *Garc. de Benef. p. 7. cap. 15. n. 46.* & in defectu legitimorum possunt praesentari illegitimi, etiam non legitimi, habilitati tamen ad beneficia. Sed in his tenor fundationis accurate inspici oportet.

338 Patronus Laicus praesentans indignum graviter peccat. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18.* quoad praesentatum tamen nihil agit, ac proinde intra quadrimestre potest aliud, sed dignum quidem, praesentare. *L. 5. tit. 15. p. 1. & ibid. Greg. Lop. V. Otro.* Ecclesiasticus autem praesentans ignoranter indignum, potest intra semestrem, alium dignum praesentare: quod si scienter praesentavit indignum, jure praesentandi pro ea vice privatur, vel ipso facto, vel saltem post sententiam, & ad Episcopum devolvitur collatio. *c. 2. de Consec. Praebend. Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 34. n. 29.* Tenentur igitur patroni absolute dignum praesentare, & Ecclesiasticus ad beneficium curatum digniorem praesentare tenetur. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 1. & cap. 18.* ad beneficium simplex, sufficit, si dignum praesentent, saltem in foro externo. *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 13.* Patronus Laicus, etiam ad curatum, solum dignum praesentare tenetur. *c. 5. c. 22. c. 24. c. 29. b. t. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18.* in foro tamen conscientiae digniorem tenetur praesentare, saltem sub levi ad beneficia curata. Episcopus quidem potest repellere praesentatum à patrono, si dignus non sit; tamen tenetur Episcopus probare talem praesentatum dignum non esse, cum quilibet idoneus praesumatur. *L. 5. tit. 15. p. 1.* quod si praesentatus sit idoneus debet ab Episcopo institui. Si hoc facere recuset, potest patronus Archiepiscopum, vel Superiorem adire, ut Episcopum, institutionem facere compellat. *L. 5. tit. 15. p. 1.* Deinde Patronus debet praesentare intra tempus à jure praefixum. Patronus Ec-

clesiasticus intra sex menses. *c. 22. b. t. c. un. eod. in 6.* Laicus tamen intra quatuor menses. *c. 3. c. 27. b. t.* Et quidem hoc tempus currit, cessante legitimo impedimento, non à die vacationis, quippe si detur ignorantia, non datur negligentia; currit ergo à die notitiae vacationis, & sane continuo, & à momento ad momentum. *c. 5. de Consec. Praebend. Barbos. de Pot. Episcop. alleg. 72. ex n. 217. Garc. de Benef. p. 10. c. 2. n. 42.* quod si intra praedictum tempus, vel terminum patroni non praesentent, pro ea vice jure praesentandi privantur in negligentia poenam: & collatio devolvitur ad Episcopum, vel alium, qui habeat jus instituendi: qui proinde potest beneficium liberè, cui velit, conferre. *c. 3. c. 22. c. 27. b. t.* & hoc dicitur, conferre beneficium jure devolutio. Si tamen praesentatio tempore debito, & legitimo facta sit, sed non habeat effectum, vel ob impedimentum occultum, vel quia praesentatus non acceptavit praesentationem, vel quia post eam acceptatam renuntiavit: vel quia ante institutionem mortuus est, vel ex facto Episcopi, vel alio simili casu, dummodo in praedictis nulla intercesserit fraus, patrono aliud semestrem, vel quadrimestre ad novam praesentationem faciendam conceditur: qui quidem novus terminus à tempore impedimenti cogniti currere incipit; arg. *c. 26. de Election. in 6.* possunt tamen fundatores in ipsa fundatione hunc terminum prorogare, vel coarctare, accedente quidem Episcopi consensu. Nam praedictus terminus solum statutus est, quando alius non est determinatus: non tamen possunt fundatores post perfectam fundationem talem terminum prorogare, vel coarctare: nam ut dicitur in Text. in *L. 4. C. de Donation. qua sub mod. perfecta donatio conditiones postea non capit.* Potest verò patronus, etiam post praedictum tempus, praesentare. 1. si vacationem ignoravit: nam tunc non datur negligentia, in cuius odium fuit introducta devolutio. *c. 5. de Consec. Praebend.* Haec tamen ignorantia praesumitur, ac proinde patrono contrario incumbit probare, patronum notitiam habuisse. *Barbos. de Poteft. Episcop. alleg. 72. n. 136. 2.* Si Patronus abuij Republicae causa, vel si incarceratus, vel excommunicatus, vel alio legitimo impedimento detentus fuit: quippe tunc non potest negligens dici, ac per consequens valet post tale tempus praesentare. *c. 5. de Consec. Praebend.* sed cum praedicta impedimenta in facto consistant, ac proinde non praesumantur,

tur,

tur, patrono eorum incumbit probatio. Quod si Laicus sit Ecclesiastici Compatronus, sex mensibus Ecclesiastici ad presentandum gaudet. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 310.* Quod si lis pendeat super patronatu, ille, qui est in ejus possessione debet tempore prefixo presentare: & sic institutus non debet postea removeri, etiam si presentans fuisset in judicio victus: & declaratur, ipsi jus patronatus non competere. *L. 9. tit. 15. p. 1.* Si neuter litigantium sit in possessione, tempore elapso, licet nondum finita lite, jure devoluto potest Episcopus liberè beneficium conferre: ut sic lites nimis non differantur. *c. 3. c. 12. c. 22. c. 27. b. t. l. 11. tit. 15. p. 1.* nisi forte Episcopus malitiosè deferrat litem definire: ne ex suo delicto, & malitia commodum capiat. Tunc enim Episcopo, à patronis requisito, litis finis expectatur. Similiter litis eventus expectatur, si lis versetur inter patronum intendentem, beneficium, esse patronatum, & Episcopum intendentem, esse liberè collationis. *c. 4. de Offic. Ordin. l. 11. tit. 15. p. 1.* quod si lis versetur inter duos presentatos super praelatione, de utriusque jure cognoscitur, & pro eo, qui meliori jure gaudet pronuntiatur. *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 72. n. 140.* & quidem potest Episcopus intra tempus à jure ad presentandum concessum, illud patronis litigantibus prorogare: secus illo elapso, tunc enim ipso jure ad Episcopum devolvitur collatio. *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 72. n. 143.*

339 Patronus Laicus, vel Ecclesiasticus potest simul duos, vel plures presentare ad beneficium, quia hoc non est variare. *c. fin. b. t. Gonz. in c. 5. b. t. n. fin.* & quidem si facta presentatione sequatur Institutio Canonica, etiam si non detur realis traditio possessionis, talis institutus plenum jus in beneficio obtinet, ac per consequens nulli patrono jam amplius licet alterum presentare. Si tamen adhuc non sit facta Canonica Institutio, potest utique Patronus Laicus, vel ejus successor (secus Ecclesiasticus) variare, & post primam presentationem aliam facere, non quidem excludendo primum presentatum, sed tantum ei secundum adiungendo, & cumulando. *c. 5. c. 24. c. 29. h. t. l. 6. tit. 15. p. 1.* Cum enim Ecclesiasticus melius possit Clericos idoneos cognoscere, & ipsi sex mensium tempus datur, non debet permitti variatio, sicut Laico permittitur ob rationem contrariam, quia nec bene Clericos idoneos cognoscit, & brevius tempus conceditur. Accedit, quod variatio

aliquam notam inconstantiae secum trahit, quae maxime Clericos decedit. Si patronus Laicus non variare juravit, hoc juramentum servandum profecto erit, cum nec in salutis aeternae dispendium, nec in tertij vergat praedictum. *c. 28. de Jur. jur. Gutier. de Juram. Conf. p. 3. cap. 13. n. 13.* Si vero defacto alium presentet, & Ordinarius approbet, illicita quidem, valida tamen erit secunda presentatio: sicuti validum est matrimonium contractum contra sponsalia cum alia inita, quamvis illicitum sit. *c. 22. de Sponsal.* Si Ecclesiasticus sit Laici Compatronus, adhuc variare nequit: imò nec Laicus, si idem ab ipso, ac ab Ecclesiastico presentatus sit: secus est si diversos presentasset: Tunc enim Laicus alium potest cumulare. *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 72. ex n. 166.* Patronum Laicum saepius variare posse tenent. *Gloss. in Cl. 2. b. t. & alij.* Sed verius est, semel tantum illi variare permitti. *arg. Text. in c. 5. c. 24. c. 28. c. 29. b. t.* nam cum variatio sit odiosa, non debet multiplicari. *c. 15. de Reg. jur. in 6. l. 6. tit. 15. p. 1.* ibi: *Si el Patron fuisse Lego, è presentasse Clerigo para alguna e Iglesia, si ante que el Obispo lo recibiese, quisiese el mismo presentarlo otro, bien lo puede hacer.* Et *Greg. Lop. ibid. v. Otro*, ait: *Videtur velle Lex ista, quod semel tantum liceat variare in presentando cum dicit, otro, & non otros.* *Gonz. in c. 5. b. t. n. fin.* Si idem patronus plures simul presentet, & omnium merita sint aequalia, potest Ordinarius quem malit, è presentatis (non alium) praerferre, & instituire: cum tunc locus gratificationi datur. *c. 24. b. t. l. 6. tit. 15. p. 1.* Etiam si ex duobus presentatis neuter dignior appareat, debet Episcopus unum ex eis instituire, nec potest tertium non presentatum eligere. *arg. c. 32. l. 6. q. 7. c. 8. c. 14. b. t.* Si unus ex presentatis ceteris sit dignior, ille eligendus, & institutus est ab Ordinario; *arg. l. 16. tit. 15. p. 1.* Si à diversis patronis plures sunt presentati numero parvi, dignior praerendus est; si omnes sint aequales, gratificationi est locus. *L. 10. l. 15. p. 1.* Si numero impari sint presentati, ille, pro quo plura sunt suffragia, praerendus est, etiam dignior, dummodo ipse dignus sit. Si vero indignus, praeretur dignus, etiam paucioribus presentatus suffragijs: Si vero tempus ad presentandum nondum sit elapsum: patroni Laici alium dignum presentare possunt. *L. 10. tit. 15. p. 1.* Si Episcopus repulit primum à patrono presentatum, qui verè dignus erat, & instituit

tuit secundum presentatum: etiam si primus appellatione interposita, ostendat injuriam sibi factam; secundus tamen, cum sit in possessione, meliorem proculdubio habet conditionem, ac propterea in beneficio erit relinquendus. Episcopus tamen alia via tenetur priori presentato, & rejecto satisficere. *c. 5. c. 29. b. t. l. 6. tit. 15. p. 1.*

340 Jus patronatus in alium quatuor modis transferitur: 1. successione hereditaria. 2. donatione. 3. permutatione. 4. venditione. Sic expressè *L. 8. tit. 15. p. 1.* iuxta illos versus: — *Jura patronatus transfere facit novus haeres.* — *Res permutata, donatio, venditioque*: ac proinde de illis suo ordine nobis agendum est. 1. igitur, *successione hereditaria* transferitur patronatus: hoc etenim jus transit cum ipsa hereditate ad haeredes universales (non ad legatarios) fundatoris, sive sint extranei, sive sui, sive ex testamento, sive ab intestato, sive viri, sive feminae. *c. 1. c. 3. c. 7. b. t. l. 8. tit. 15. p. 1.* *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 71. n. 3.* & etiam ad Monasterium. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 1. n. 555.* Et quidem ad omnes, & singulos haeredes pro indiviso, quoad substantiam transit jus patronatus, dum hereditas indivisa est: possunt tamen haeredes, ut facilius Ecclesiae provideatur, & ut tollantur discordiae, inter se convenire, ut alterius vicibus, vel pro diversis Ecclesijs, vel beneficijs presentent. *Cl. 2. b. t.* facta hereditatis divisione, patronatus pertinebit ad illum (sive legatarium, sive haeredem) ad quem perveniat res, cui patronatus est annexus. Hinc, si haeres fiduciarius retineat ratione Trebellianicae fundum, cui patronatus est annexus, non solum gaudebit patronatu personali, sed etiam reali: quod si fundus Jure Patronatus gravatus transeat ad fideicommissarium, ad ipsum consequenter transibit Patronatus Realis. *c. 7. b. t. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. ex n. 17.* Et sic concordantur sententiae contrariae quas defendunt *Covar. & Barbos.* contra *Gutier. Molin. & alios.* Similiter, si bona alicujus, quibus patronatus sit annexus, ad fiscum perveniant, cum ipsis Patronatus Realis transit: patronatus verò personalis apud patronum delinquentem manebit, donec ideò à Judice privetur. *Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 26.* Haeredes haeredum patroni, etiam in patronatus jus succedunt, non tamen in capita, sed in stirpes, quatenus representant personam illius, cui succedunt. *Cl. 2. b. t.* ac proinde, si duo patroni decedant, quorum unus relinquat decem haeredes, alius

vero duos, vel etiam unum tantum, aequè potens erit vox illorum duorum, vel unius, sicut aliorum decem. *Greg. Lop. in l. 8. tit. 15. p. 1.* Et expressè habetur in *L. 12. tit. 15. p. 1.* Jus Patronatus Realis, etiam transit ad usufructuarium universalem, ut hereditatis fructus: usufructuario tamen mortuo redit ad haeredem proprietatis. *Lambert. de Jur. Patr. p. 2. lib. 1. q. 10. art. 3.*

341 2. Jus Patronatus transferitur donatione. *c. 8. b. t. c. un. eod. in 6. l. 8. tit. 15. p. 1.* primus enim fundator potest per donationem in alium jus patronatus transferre: vel si hoc aliquis habeat ex privilegio, vel ex ipsa fundatione. Si verò aliquis patronatum reliquit Sejo: v. g. & ejus filijs, non potest Sejus in praedictum suorum filiorum alteri patronatum donare, ut contra *Lambert. de Jur. Patroni. p. 2. lib. 1. q. 2. art. 6. & 8.* tenent *Covar. lib. 2. Variar. cap. 18. n. 9. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 9. & 70. & alij*: quod si Ecclesia jus patronatus, etiam alteri Ecclesiae velit donare, intervenire debent solemnitates à jure requisitae ad rerum Ecclesiarum alienationem. Si tamen aliquis particularis donare velit patronatum, si hic sit realis, sufficit, sine alia licentia, donare rem, cui est annexus; *arg. c. 13. b. t.* si patronatus personalis est, & Ecclesiae, vel Monasterio donetur, non requiritur Episcopi consensus. *c. 8. b. t. c. un. eod. in 6.* nec item quando alteri compatrono, quicumque sit, donatur; *arg. Cl. 2. b. t.* quod si persona extranea donetur, utique licentia Episcopi necessaria est. Et etiam post donationem, vel legatum accedens sufficit: quin etiam probabiliter sufficit tacitus Episcopi consensus, si donationem sciens non contradicat. *L. 8. tit. 15. p. 1. & ibid. Greg. Lop. 3.* licet patronatus personalis non possit cum re temporali permutari sine labe simonica, bene tamen permutari cum alio valet patronatu, vel etiam alia re spiritali, accedente consensu Episcopi. *L. 8. tit. 15. p. 1.* ibi: *Un patronado por otro bien lo puede cambiar, con otorgamiento del Obispo.* Deinde, licet patronatus non possit per se permutari cum re temporali, tamen Patronatus Realis Castro, vel rei annexus, permutari utique valet cum re temporali, cum qua Castrum permutatur. *c. 40. l. 6. q. 7. l. 8. tit. 15. p. 1. q. 4.* Jus Patronatus cum sit spiritalibus annexum, nequit sine labe simoniae, & sub gravibus poenis vendi. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* quando verò est Patronatus Realis alicui Villae, vel Castro annexus, vendito Castro in emptorem per

quamdam consequentiam, & per modum accessionis transit jus reale, non tamen jus personale patronatus. *c. 7. b. t. l. 8. tit. 15. p. 1. Saar. lib. 4. de Simon. cap. 28. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 16.* Sed illud Castrum, vel Villa ratione annexi patronatus nequit pluris vendi, quam si non haberet annexum patronatum: nec obest, quod venditor dicat: *Vendo tibi Castrum cum iure patronatus, vel Castrum, & jus patronatus*, si nullum pretium pro patronatu recipiatur: nam magis substantiam rerum, quam verborum scrupulosam formam inspicimus. Deinde, etiam patronatus transferri valet ex Pontificis privilegio ob supremam potestatem, quam hic in beneficia obtinet. *c. 2. de Prebend. in 6. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* Etiam præscriptione acquiritur patronatus: & quidem si Laicus præscribat, possessio requiritur immemorialis. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* si tamen Ecclesiasticus præscribat patronatum in Ecclesia antea libera, si titulo quidem caret, indiget possessione immemoriali: si titulo muniatur, quadragenaria requiritur præscriptio: quod si Ecclesia jam erat patronata, & Ecclesiasticus adverteat Ecclesiasticum præscribat, iridem quadragenaria præscriptio requiritur: adverteat Laicum tamen, si præsens sit, sufficit decem annorum præscriptio, titulo munita. Si absens sit, viginti annorum præscriptio necessaria est: quod si Ecclesiasticus præscribens titulo careat, triginta indiget annis. Sic *Barbos. de Potest. Episc. alleg. 70. & alij.*

342 Cum beneficia Ecclesiastica in dubio collativa præsumantur, patronus ad aliquod beneficium præsentare intendens, probare debet, beneficium patronatum esse: & sanè Magnates, & Universitates, in quibus hujusmodi juris usurpatio facile præsumitur, si velint jus patronatus probare, & non per scripturam authenticam, sed tempore immemorabili allegato: non aliter eorum probatio admittitur, quando alius intendit tale beneficium esse liberum, (secus si alter, etiam patronatum intendat) quam si præter reliqua ad temporis immemorabilis probationem necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatium, quæ omnes effectum sortita sint, authenticis scripturis probentur. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* Particulares tamen possunt patronatum probare instrumentis authenticis, præscriptione quadragenaria cum titulo, vel immemorabili sine titulo. *c. 1. de Præscript. in 6.* vel per famam cum alijs admi-

niculis, vel ex præsentationibus continuatis, saltem tribus: vel si Episcopus fateatur, alicui patronatum competere. Etiam probatur ex monumentis antiquis: v. g. si insignia familiæ alicui Ecclesiæ, vel Capellæ sint affixa: vel etiam ex loco honorationis patronis concedi solito: & alijs hujusmodi. Judex tamen, attentis circumstantijs, arbitrabitur, quantam vim hæc probationes habeant ad probandum. *Lambert. de Jur. Patron. lib. 3. q. 5. art. 4. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 91. Barbos. de Potest. Episc. alleg. 72. ex n. 50.* Si authenticæ scripturæ sint deperditæ, potest fieri probatio per testes, etiam respectu præsentationum à Magnatibus factarum; *arg. c. 12. de Privileg. Garc. de Benef. p. 5. cap. 9. n. 113.* Si quæstio juris circa patronatum moveatur, cum hoc jus sit spirituale, vel spiritualibus annexum, solum de eo Ecclesiasticus Judex cognoscit. *c. 3. de Judic.* Si quæstio sit meri facti, posse etiam Saecularem Judicem cognoscere, tenent plures, ut pluries reperitum est, & praxi celebriorum Curiarum Europæ comprobatum invenitur.

343 Pontifex abs dubio potest cuicumque patronatu derogare: cum enim hoc jus ex ejus procedat concessione, contra ejusdem nequit consistere voluntatem. Ut tamen licite derogetur, causa justa respiciens Ecclesiæ utilitatem est necessaria. Et licet in clausula generali, qua Pontifex sibi omnia beneficia reservat, derogatum censetur patronatu Ecclesiastico; non tamen Laico, vel mixto: nisi de his expressa fiat mentio, nisi forte jus patronatus, quod nunc est Laicum, ex privilegio, vel consuetudine, fuisse Ecclesiasticum in sua origine: quia magis requiritur ad derogationem privilegij onerosi, ut est concessio patronatus Laicalis, quam ad derogationem privilegij gratiosi, quale est concessio patronatus Ecclesiastici. Si Principi competat patronatus, in derogatione requiritur ejus mentio specialis, nec nomine generali patronatus Laicalis comprehenditur: siquidem jus Principum, cum de Ecclesiæ benemeriti sint, fortius abs dubio est. *Gonz. ad Reg. 8. Cancel. Gloss. 18. Covarr. Pract. qq. cap. 36. & alij.* Legatus à latere potest beneficia patronatus Ecclesiastici sibi reservare, derogando patronatu Ecclesiastico: secus beneficia patronatus Laicalis, vel mixti. Siquidem ipsi nequit derogare. *c. 28. b. t. nisi forte patronatus Laicalis non ex fundatione, donatione, vel constructione, sed tantum ex privilegio sit.* *Barbos. in c. 28. b. t. n. 3.*

*Sanct.*

*Sanct. in Decal. lib. 7. cap. 29. ex n. 169.* Sed jam omnes reservationes cuicumque beneficii prohibita sunt. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 19.* Episcopus nequit iure patronatus derogare: sed omnino tenetur instituire præsentatum à patrono: alias institutio erit irrita. *c. 32. 16. q. 7. c. 8. c. 14. b. t.* Nec potest beneficium, vel Ecclesiam patronatam non patronatæ urire sine patroni consensu, quia tunc amitteret patronus jus præsentandi. *c. 20. b. t.* nec item potest qualitates, seu conditiones in fundatione beneficii appositas, etiam de consensu successoris patroni mutare. *Cl. 2. de Religios. domib. potest tamen per Episcopiam voluntatem successoris fundatoris interpretari, ut contra Garciam tenent Laym. & alij.* Patronatus amittitur varijs modis: scilicet, si patronus fiat hæreticus, apostata, schismaticus, vel fautor hæreticorum. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 13. n. 260.* vel si committat crimen lætæ Majestatis, vel aliud ob quod bona patronata confiscentur, vel si vendat simoniacè patronatum. *c. 6. b. t. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 19.* vel si illicitè fructus beneficii percipiat, vel si temerè ejus bona usurpet: vel si per se, vel per alium occidat Rectorem Ecclesiæ patronatæ. *c. 12. de Pœnis*, quod habet locum, saltem post sententiam declaratoriam. *Barbos. in cap. 12. de Pœnis, num. 3.* Etiam sine patroni delicto patronatus amittitur: si scilicet Papa supprimat patronatum, vel si patronus expressè, vel tacitè cedat juri præsentandi in favorem Ecclesiæ, ita ut hæc libera remaneat à tali jure. *c. un. h. t. in 6.* vel si Ecclesia patronata uniatæ de consensu patroni, & sine hujus juris reservatione, Ecclesiæ non patronatæ. *c. 8. de Constit.* vel si patronus non utatur longo tempore jure præsentandi, ita ut saltem bis sit institutus Rector sine patroni præsentatione: vel si Ecclesia totalitè destruat, vel ejus dos pereat: vel si extinguatur familia, pro qua fuit patronatus constitutus. Denique licet oportet: quod nostræ Potentissimi Hispaniæ Reges habent patronatum omnium Cathedralium Hispaniæ, & aliorum Regnorum ipsi adjacentium in Europa, & Africa: ac proinde præsentant R. Pontifici omnes Archiepiscopos, & Episcopos ad prædictas Ecclesias eligendos, vel confirmandos. Etiam habent patronatum, & præsentant ad Abbatis, & Prælatas residentiales, Præterea in Regno Granatenfi habent patronatum omnium omnino beneficiorum omnium Ecclesiarum. *Bobad. Polit. lib. 2. cap. 18. n. 221.* In Indijs ha-

*Tom. I.*

bent patronatum omnium Cathedralium, & aliarum quarumcumque Ecclesiarum novi Orbis, & Philippinarum. Et hic patronatus est undequaque latissimus; & profundissimus: siquidem nostri Reges non solum præsentant Archiepiscopos, Episcopos, Dignitates, Canonicos, Parochos, Beneficiatos, & Capellanos, sed etiam cognoscunt de pluribus causis, quæ ad patronatum reducuntur. Et sine nostrorum Regum licentia nulla Ecclesia erigi potest: habentque consequenter generalem protectionem omnium Ecclesiarum novi Orbis. Qui plura de hoc velit, videat. *Tit. 6. lib. 1. R. C. & ibid. Acced. tit. 6. lib. 1. R. Ind. Solorz. Villaroel. Bobadill. Ceval. Salgad. & præcipuè D. Petrum Præsto, quæ duos integros tomos habet de Regio Patronatu Indiarum.*

## TIT. XXXIX.

### De Censibus, Exactionibus, & Procuracionibus.

344 **A**GIT præsens Rubrica, & Nos ejus ordinem sequendo agemus, de Censibus, Exactionibus, & Procuracionibus. Censibus igitur à verbo *censio* dictus, significat *assimationem patrimonij, & matriculam universorum civium*, qui tam Romæ, quam in Provincijs debebant. Hispani: *Padron*, ò *encabezamiento*. Aliquando etiam census significat id, quod præstatur quotannis in certa summa, & quantitate, & sic comprehendit tributum. *L. 3. ff. de Censibus* sic apud Joannem legitur, *tributum dare Cesari*, quod apud Matthæum dicitur: *Censum dare Cesari*. Aliquando, etiam ipsum patrimonium, & opes significat juxta illud: *Dat census honores, census amicitias, pauper ubique jacet*. Aliquando sumitur pro pensione, quæ pro contractu: qui census dicitur, solvitur. Etiam significat pensionem, seu canonem, quem præstat emphyteuta Domino directo in domini recognitionem. Etiam significat contractum, quo res alicui pleno jure conceditur, ita ut solum reservetur concedenti talem censum, aliqua pensio annua persolvenda ipsi in recognitionem domini, translato tamen in accipientem directo, & utili dominio. Et in hoc sensu loquuntur *Text. in c. 1. de in Integr. rest. c. 6. de Religios. domib. & dicitur census reservatus*,

liii 2

de